



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. I. Quid sit, & quotuplex?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

Resp.III. Clerici possunt degradari à suo Episcopo, sed non ab inferioribus illo: deponi tamen possunt ab eodem per Vicarium.

Resp.IV. Depositio fieri potest in casibus iure expressis, & delictis: non tamen nisi gravioribus, arbitrio iudicis. Ubi notat *Laym.* crimen debere esse enorme, id est, unum ex maximis. Degradatio similiter fieri potest in casibus tantum gravissimis, quales sunt v.g. crimen hæresis manifestum, falsatio literarum Apostolicarum. Sodomia frequentata, gravis calumnia proprio Episcopo interrogata, v. *Laym. hic c. 5. & Fill. t. 18, c. 8.*

CAPUT IV.

De Interdicto

DUBIUM I.

Quid sit & Quotuplex?

Resp. Est censura Ecclesiastica, prohibens divinum officiorum, sacramentorum aliquorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ usum, quatenus talis est. Quod addo, quia excommunicatio eodè privat, quatenus est communicatio cum fidelibus: suspensio verò propriè non illum usum, sed exercitium potestatis Ecclesiasticæ impedit. *vid. Laym. l. 1, t. 5, p. 4, c. 1. Bon. d. 5, p. 1.*

Resp.II. Interdictum dividitur I In locale, quod immediatè locum afficit; & in Personale, quod immediatè afficit personas; & Mixtum, quod immediatè

mediatè afficit locum & eius incolas. Differt autem Locale à Personali, quòd in illo participatio sacrorum officiorum tum indigenis, tum alienigenis, non absolutè, sed in loco tantum interdicitur; in hoc vero certis personis aut communitati prohibeatur absolutè; & in omni loco. 2. Interdictum tam locale, quam personale, subdividitur in Generale, & Particulare. Generale est, quo locus generalis, v. g. civitas, provincia, vel quo communitas v. g. collegium, &c. interdicitur. Particulare, quo locus aut persona particularis, aut particulares interdiciuntur. Unde resolves.

I. Interdicta civitate interdiciuntur etiam suburbia, & interdicta parochia, etiam sacellum, vel cœmeterium contiguum: quia accessorium sequitur naturam principalis.

II. Interdicto populo non interdiciuntur ii, qui non sunt pars populi, ut studiosi, Clerici, peregrini, &c. Nec interdicto Clero, interdiciuntur religiosi, quia in favorabilibus tantum nomine Clerici comprehenduntur.

III. Si dicatur cives, v. g. Colonenses, sunt interdicti, ii nusquam possunt interesse divinis, (nisi tamen desinant esse istic cives, nec causam dederint interdicto) contra verò, si civitas interdicto subjiciatur; licet civibus aut incolis, qui causam interdicto non dederunt, alio ire, & istic divinis interesse.

DUBI.